

Justus Christoph Schomer Joachim Christoph Boden

Passionem Jesu Christi : Disputatio Theologica

Rostochi[i]: Wepplingius, 1686

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn736014969>


Druck Freier  Zugang



RU theol. 31.März 1686

Schomer, Justus 16

~~Bodenius, Joach. Christ.~~



AUXILIANTE SUMMO NUMINE!

865.

PASSIONEM JESU CHRISTI

DISPUTATIONE THEOLOGICA

Sub PRÆSIDIO

VIRI MAGNIFICI, MAXIMEQUE
REVERENDI

DN. JUSTI CHRISTOPHORI
SCHOMERI,

D. ac Prof. Theol. longè celeberrimi, Con-
sist. Ducal. Assess. & Superintendentis Me-
cklenb. gravissimi

DN. PRÆCEPTORIS atq; FAUTORIS MEI
omni observantia & honoris cultu sanctè
devenerandi

Ad diem XXXI, Martii, Anno post Christum
natum M. DC. LXXXVI.

IN AUDITORIO MAJORI

Publico Eruditorum examini subicit

AUCTOR

M. JOACHIMUS CHRISTOPH; BODENIUS,
Wismariensis.

Rostochl, Typis JOH. WEPPLINGII, Univers. Typogr.


AUXILIANTE SUMMO NUMINE
PASSIONEM
JESU CHRISTI
DISPUTATIONE THEOLOGICA

Sub PRÆSIDIO
VIRI MAGNIFICI, MAXIMILIANI
REUERENDI

DOMINO

data dabo.

Dr. PRÆCEPTORIS
omni operante & honoris causa
Abdies XXXI Martii Anno post Christum
natum M. D.
IN
Publico Examinato
M. JOACHIMUS CHRISTOPH. BODENIUS
Vindictensis.
Rostock, J. J. JOH. W. BPTLINGER, Librarius J. J. J. J.





PRO O E M I U M.



Monet hoc tempus anni,
 quo passio & mors Salvatoris nostri
 JESU CHRISTI omnium fidelium
 meditationes occupat, & publicè in
 Ecclesiis à sacris oratoribus rumi-
 nanda proponitur, ut & in Academi-
 cã cathedrã hanc scenam aperiãmus,
 dumq; aliquod Disputatione publicã
 exercitium proponere cupimus, id
 potissimum eligamus, quod à præ-
 sente temporis solennitate non revocet animum, sed in eã
 potiùs confirmet. Pendet à Passione Christi omnis salus nostra,
 quam non hoc tantùm tempore, quod quotannis ecclesiã
 recurrit, sed per omnem omnino vitam ob oculos nobis con-
 tinuò versari convenit, ut & quanto beneficio nos Deo de-
 vincti simus, & quanto studio vitare oporteat peccata, quã
 tam severè expianda fuerunt, inde intelligamus. Multum
 igitur interest veram rectamq; ejus ex S. codice hausisse no-
 titiam, & scholarum exercitiis ad praxin tum homilericam
 tum privatam rectè preparari. Porrigant sibi dextram, mu-
 tuamq; operam præstent utriusq; cathedrã studia, & bene-
 erit

A

erit

Erit proſpectum rebus noſtris. Tu verò ſancte Salvator, qui paſſione, quam pro nobis ſuſtinuiſti, acerbiffimâ hoc nobis diſſerendi argumentum præbuiſti, hiſe etiam conatibus fave, ut per te tuumque Spiritum eruditi, de te, tuiſque laboribus, laborem felicem nobiſque ſalutarem ſuſcipiamus!

S. 1.

PAſſio Chriſti alia *Phyſica* eſt, alia *Mystica*, illa eſt quam Chriſtus in arâ crucis ſuſtinuit pro totius mundi peccatis in proprio & naturali corpore, 1. *Pet.* 2. v. 24. Hæc, quæ aliâ a Theologis *appropriata* dicitur, eſt, quam non in corpore *Phyſico* ſed *mystico* (non in ſe ſed in Sanctis, qui ſunt pupilla Dei *Zach.* 2. v. 8. & Eccleſiâ ſuâ) ſuſtinuit; *Colloſſ.* 1. v. 24. 2. *Cor.* 4. v. 10. quia enim in ſingulis membris gratioſè habitat, omnino & ipſorum paſſiones ſibi appropriat, proquæ ſuis illas reputat *Act.* 9. v. 4. *Matth.* 25. v. 45. Non autem de hæc ſed de illâ ſumus ſolliciti.

S. 2. *Cauſa efficiens* ejus alio atque alio reſpectu varia afferri poteſt. Primò quidem DEUS, tùm *in ſe* ſeu *Essentialiter* ſumtâ voce, quatenus tota S. S. Trinitas ex ſummo amore erga genus humanum communi conſilio paſſionem JEſu noſtri decrevit, & communi voluntate atque conſenſu in actum deduxit *Act.* 2. v. 23., tùm *in aliis* *personaliter*, quatenus cuiuslibet perſonæ agendi modus attenditur. Sic alio reſpectu *Pater*, alio *Filius*, alio *Spiritus S.* paſſionis Chriſti cauſa eſt.

S. 3. *Pater* eſt cauſa paſſionis (a) *ut Donator*, quia ex immenſâ miſericordiâ & ineffabili dilectione erga genus humanum totumundo filium ſuum unigenitum dedit, miſit, tradidit, eiſque non pepercit. *Joh.* 3. v. 16. 1. *Joh.* 4. v. 10. *Rom.* 8. v. 32. (b) *ut exactor ſatiſfactionis*, quam invariabilis juſtitia divina requirebat, & veritas divina immutabilis poſcebat, id quod *Rom.* 8. v. 3. declaratur, quod Deus, *mittens filium in ſimilitudine carnis peccati, damnaverit noſtrum peccatum in carne ejus*

*jus. & cap. 3. v. 25. quod ipsum constituerit ad demonstrandum
justitiam suam in ipsius sanguine.* Et *Esaj. 53. v. 6. Jehovah
facit, ut incurrat in eum poena omnium nostrum, & v. 10. Je-
hovah delectatus conterere ipsum.* (γ) *ut subtractor omnis
sensus gratia, unde factum est ut se desertum esse quereretur,
Ps. 22. v. 1. Matth. 27. v. 46. unde gravissimos dolores animi orti
sunt. Luc. 22. v. 44. Hebr. 5. v. 7.* Quia enim Deus adeo ju-
stus est, ut nullum remittat peccatum nisi pro eo plenissime
sit satisfactum; *Ebr. 9. v. 22.* atq; adeo duo idiomata divina cir-
ca genus humanum in gratiam recipiendum concurrebant,
Misericordia, quæ lapsi miseriam respiciebat, ideoq; parcere
volebat, & justitia, quæ ad inobedientiam referebatur, ideo-
q; poenam, eamq;ve non temporalem sed æternam poscebat;
jam verò nullus Angelus in cœlo, neq; ullus homo in terrâ
sustinere, vel ad extinguendam illam sufficere poterat: Id-
circo Deus ex immensâ bonitate viam utriq;ve invenit, cum
Christum Mediatorem in mundum misit, ut patiendo & mo-
riendo pro toto humano genere justitiæ divinæ satisfaceret.

§. 4. *Filius* ipse est causa passionis suæ, dum se sponte
ad eam obrulit, ut scriptura dicit, quod se ipsum pretium re-
demtionis dederit, *1. Tim. 2. v. 6.* tradideritq;ve se ipsum pro
me, *Gal. 2. v. 20.* quodq;ve ut homo obedientiam erga Patrem
promptissimam declaraverit. *Pf. 40. v. 8.* Unde & neminem
à se vitam tollere sed ipsum se illam dimittere profitetur:
Joh. 10. v. 18.

§. 5. *Spiritus S.* etiam causa passionis Christi dici po-
test, quatenus ut ad incarnationem & ejus finem eum misit,
Esaj. 48. v. 16. & cap. 61. v. 1. ita etiam ad ipsam passionem. E-
tenim disertè à Spiritu dicitur Christus in desertum deductus
esse, ut à Diabolo tentaretur; *Matth. 4. v. 1.* quæ ipsa tentatio
passionis ejus, quam in exinanitionis statu expertus est, pars
fuit. Itaq;ve qui ad initia illa publiciq;ve ministerii prepara-

toria illum deduxit, utiqvè & ad clausulam ejus ultimam eundem provexisse credendus est. Unde adeò Christus *per æternum Spiritum*, se Deo obtulisse dicitur *Hebr. 9. v. 14.*

§. 6. Deinde *causa Efficiens* etiam sunt *Homines*, tum *generaliter* omnes, quatenus peccatis suis ipsum tanqvàm piacularem hostiam onerarunt, quæ ipse portavit *Esaj. 53. v. 4.* quæque pertulit in corpore suo super lignum *1. Petr. 2. v. 24.* propter quæ traditus quoqvè est *Rom. 4. v. 25.* De quibus ipse queritur *Es. 43. v. 24. & 25. Servire me fecisti in peccatis tuis, laborare me fecisti in iniquitatibus tuis.* Nam & apostata reputantur crucifigere Christum, cum crucis ejus virtutem abnegant, *Hebr. 6. v. 6.* novamq; quasi expiationem circumspiciunt, multò magis crucieum suffixisse dicendi sumus quatenus peccata nostra reverà semel in cruce expiata sunt. Tum *specialiter* (1) *Judas Iscariotes avarus*, qui impulsu Satanæ *Luc. 22. v. 3.* avaritià adductus *Matth. 26. v. 15.* Magistrum, à quo tamen omnibus tam spiritualibus quàm corporalibus beneficiis hactenus ornatus erat, osculo quodam prodidit *Matth. 26. v. 49. Luc. 22. v. 47, seq.* (2) *Pharisæi ac Scribæ invidi ac cæci Matth. 27. v. 1.* qui *Psalms. 22. v. 13.* mysticè per tauros & vitulos adumbrantur, propter sævitiam, quam adversus Christum exercuerunt cum ipsum in vincula darent, falsa testimonia contra eum proferent, servos, populum, judicem concitarent, ut ignominiosè perderent. (3) *Pilatus injustus atqvè crudelis*, quando Christum flagris quàm acerbissimè cædere jussit, militibusq; immanitate barbaris eum totum permisit, à quibus pallio rubro & coronâ spineâ ad ludibrium ornatus, conspueretur, rape- retur, tunderetur, etiam cum culpam in illo nullam deprehendere injustus judex falsus est, nec vel precibus uxoris somnio monitæ, nec pudore ullo motus, populi tumultibus cessit, quin Christum ad consumeliosissimam crucem condemnaret. (4) *Populus rabidus*, qui canibus assimilatur *Psalms. 22. v. 17.* quòd
ani;

animum verè caninum declaraverit adversus Christum, circumcursitando indefessè, & acriter venando, indefinenter latrando: *Tolle, crucifige, sanguis ejus veniat super nos & posteros nostros Matth. 27. v. 22. 23. 24.* (5) Milites, qui ad nutum Pilati promptos se exhibuerunt, ad omnis generis immanitatem, suisque manibus verberatum pullumque tandem in crucem sustulerunt, ac vestimenta ejus inter se partiti sunt.

§. 7. Tandem & Diabolus causa passionis Christi est; serpens ille antiquus, quem calcaiea protritatoris sui morsurum esse prædictum erat Evangelio Paradisaico, *Gen. 3. v. 15.* qui ut insidiatus est puero nascituro *Apoc. 12. v. 4.* ita & Judam contra Christum armavit, sicut scriptum exstat *Joh. 3. v. 27. tunc ingressus est Satanas in illum.* Insignis autem est Calviniano- rum error, cum quæ Diabolo propria sunt, Deo auctori adscribunt, docentq; Deum ab æterno decrevisse & in tempore impulisse Judam, ut Christum Magistrum ac Dominum suum proderet, Judæos verò ut eum crucifigerent. At certum est Deum quidem impium hoc Judæorum facinus ab æterno præscivisse, *Act. 2. v. 23.* permittere decrevisse, *Act. 4. v. 28.* & ad finem salutarem ordinasse, *1. Cor. 5. v. 28.* verùm nunquam sceleratum istud Judæ & Judæorum propositum approbasse, multò minùs eisdem inevitabili necessitate & vi occultâ impulisse. Quin Judam potiùs graviter à proposito hoc dehortatus est Christus *Matth. 26. v. 24.* Judæos quoque seriò convertere voluit, id quod in primis patet ex colloquio, quod cum iis habuit. *Joh. 8. v. 21. 28. 37. 40. 43. 44.* Sed ipsi noluerunt, *Matth. 23. v. 37.* consilium ejus spreverunt, *Luc. 7. v. 30.* Spiritui S. resistenterunt, *Act. 7. v. 51.* verbum Evangelii à se repulerunt, *Act. 13. v. 45. 46.* Non ergò, quia Deus futura cognoscat, necesse est nos facere, quod ille præcivit, sed quod propria voluntate sumus facturì, illud *probit futurum quasi Deus,* inquit Hieronymus, *Nec ideo*

peccat homo, quia Deus illum peccaturum præscivit, sed idè quia peccat, ipsum peccaturum præscivit. ut Augustinus loquitur.

§. 8. Subjectum Passionis est vel quod vel quo, illud est Christus Θεὸς ὁμοιωθεὶς, hoc verò humana natura. Homo esse debebat qui pro nobis patiebatur, quia homo peccaverat, homo redimendus, homo cum Deo reconciliandus erat. Reconciliationem igitur illam & redemptionem per hominem fieri par erat. 1. Cor. 15. v. 21. Rom. 5. v. 18, seq. Heb. 2. v. 14. 16. 17. Conferantur quæ de retractu gentilitio dicuntur, Lev. 25. v. 25. & 29. ubi & jus cognationis & oblatio pretii requiruntur ad vindicanda sibi quæ alii vendiderant. Deus etiam esse debuit, qui pro nobis pateretur, ut infiniti valoris pretium Deo offerret, quandoquidem in infinitum ipsi ad pœnas obligati eramus. Neque verò sine æquivalente ejusmodi antitypo redemptio nostri fieri poterat. vid. Psalm. 49. v. 8. 9. & Hebr. 7. v. 26, seq. Itaque ab utraqve naturâ denominatur in concreto hoc passionis subjectum. Etsi enim passio propriè non nisi humanæ in Christo naturæ competit illamquè tanquàm subjectum in hæssionis denominat, attamen per unionem naturarum personalem etiam in divinam naturam suo modo redundat, eis demquè attribuitur ac communicatur in concreto tam verè & realiter, quàm verè Deus humanam naturam assumpsit, idq; citra omnem confusionem Eutychianam, quia perpetuò manent ut naturæ sic illarū idiomatica distincta. Sic scriptura S. non tantum filio hominis passionem illam attribuit, Matth. 20. v. 18. Luc. 9. v. 22. femini mulieris Gen. 3. v. 15. surgenti ex terrâ surculo, Es. 53. v. 2. 3. sed & filio Dei Rom. 8. v. 32. Gal. 2. v. 20. principi vitæ, Act. 3. v. 15. Domino gloriæ, 1. Cor. 2. v. 8. & sanguis filii Dei vocatur qui pro nobis effusus est. Job. 1. v. 7. & proprius Dei Act. 20. v. 28. nempe non Essentialiter sed personaliter per communicationis gratiam. Errant igitur graviter qui docent solam carnem.

nem Christi esse passam, vel propositionem hanc; *Deus est passus*, cum Zvinglio per ἀνάσσειν explicant h. m. *Caro Deitati unita est passa* ut per Synecdochen ponatur persona & tantum humana intelligatur natura. Egregiè Cyrillus, per convenientiam hæc fieri, ait, *quoniam idem homo verus est, & hominis passiones sibi attribuit propter personalem identitatem*; & iterum: *Peperit Maria Emanuelem secundum divinitatem impassibilem, secundum humanitatem passibilem*. Nam etiamsi proprii corporis passiones sibi Deus appropriat, inquit se ipsum transfert: Ipse tamen idem in terminis impassibilitatis permansit, *& si audias eum dicentem, Dorsum meum dedi ad flagellandum, & genas meas ad alapas, faciem meam non avertō à foeditate sputarum, ne suspiteris, Deum ista in propria passum esse naturā, sed magis proprii corporis appropriasse sibi flagella*. In abstracto tamen non dicimus *Deitatem Christi esse passam*, etsi hæc phrasis commodam aliquam explicationem pati possit & sine Eutychnismi notā à patribus quibusdam similes abstractivæ formulæ adhibitæ sint, de quibus vid. *Calov. de Pers. Christi p. 240. seq.* nec minùs quibusdam Nostratum eadem visa sit ad Calvinianos è latibulis æquivocationum in lucem protrahendos apta esse. Cum enim in S. scripturā non habeatur, quæ potius, cum passionem de personā prædicat, naturas distinguit, docens: *Christum esse passum carne*, 1. Petr. 1. v. 1. *mortificatum carne*, ibid. c. 3. v. 18. *portasse peccata nostra in suo corpore*, 1. c. c. 2. v. 24. & similes ejusmodi sanas adhibet loquendi formulas, illi acquiescimus, ipsā sacrā paginā admonente 1. Tim. 6. v. 3. *& 1. Thess. 5. v. 22. Abstinetē ab omni etiam specie mali*. Nec ulla nos urget necessitas ut eā loquendi formulā utamur, & possumus adhibitā diligentia æquè benè animadvertere Calvinistarum, Jesuitarum, Nestorianorum & aliorum errores, & illorum dolos malos ex Dei verbo sufficienter diluere, etiamsi nunquàm sic extra scripturam loquamur phrasibus, quibus imperi-

impèriti faciliè in errorèm Theopaschitarum inciderent, ade-
oqve scandalum non leve præberi posset.

S. 9. Porro in ipsâ humanâ naturâ Christus non tan-
tùm corpore passus est, qvo ictus, flagra, sputa, & omnis ge-
neris cruciatus excepit, sed etiam ipsâ animâ, in qvam & do-
lores corporis redundarunt, & præterea immediatus ira divi-
næ sensus incurrit. Pontificii vulgò putant, animam Chri-
sti à momento unionis perpetuâ fruitam esse beatitudine,
ita ut passio ejus non nisi ad inferiores ejus, ut vocant, partes
vel facultates pertinuerit: Sed hoc statuunt contra expres-
sam scripturæ S. literam, in qva legimus *Es. 53. v. 11. animam
ejus laborasse, labore & dolore fatigatam esse*, qvem sensum
verbum $\kappa\alpha\tau\alpha$ suggerit, & fateatur ipse Christus, qvòd anima
iplius sit $\omega\epsilon\lambda\upsilon\pi\alpha$ $\text{\textcircled{S}}$ undiqvâq; tristis, ut etiam *cæperit contrista-
ri & gravissimè angi*, Matth. 26. v. 37. & 38. *expavescere* Marc. 14.
v. 33. $\epsilon\kappa\tau\alpha\upsilon\beta\epsilon\iota\sigma\mu\iota\ \kappa\alpha\iota\ \acute{\alpha}\delta\eta\mu\omicron\nu\epsilon\iota\nu$; qvæ sanè verba vehementissi-
miam passionem & exquisitissimum dolorem exprimunt, ita
ut cum externa vis nec dum ulla inferretur, grumos sanguinis
sudaverit, & jam morti vicinus fieret in horto Gethsemane.
Huc referas fletum ejus, de qvo *Hebr. 5. v. 7.* Tandem accedit
qvòd *posuerit animam suam pro ovibus* Job, 10. v. 11, 15. & 17. *ani-
mam dederit redemptionem pro multis.* Matth. 20. v. 28.

S. 10. Formam passionis ab incurso seu causalitate a-
gentis & modo eam recipiendi definire possumus, perinde ut
formas actionum ab objecto & modo versandi circa illud pe-
timus. Agentes seu efficientes causæ ut in Christum pluri-
mæ concurrerunt, ita & varia fuit incurrendi ratio. Quid
homines in ipsum statuerint omnis latè narrat Evangelistarum
historia, qvæ per vices pessimorum nebulonum nefariorum-
qve consiliorum ductum Christum, & opprobria omnis gene-
ris expertum, lamentabiliter oculis auribusqve legentium si-
sit. Quid Diabolus isti sevitiæ addiderit, facilis conjectura
est,

est, dummodo constet, quam & ipse Deus Pater Christi eundem ad imum infelicitatis gradum, ad plenissimam scilicet iræ divinæ sensum deduxerit. Verbo, *infernales* pœnas sustinuit, non quidem secundum omnes partes & circumstantias & in ipso inferni loco, (alias enim ejus descensus ad inferos non ad gradus exaltationis sed exinanitionis, quod nonnulli adversariorum volunt, referendus foret,) attamen perfectè illa supplicia sustinuit, quæ nobis ob peccata luenda erant, ita ut illi dolores *intensivè* illa omnia complexi sint, quæ omnes omnium hominum cruciatûs in æternum producti complexuri erant. Hæc enim fuit illa gustatio mortis, quam Christum oportuit pro omnibus præstare, *Heb. 2. v. 9.* hæc substitutio in nostrum locum, ut *nostros dolores in se transferret*, eosdem nempe, qui nos manebant, *Esaj. 53. v. 4.* & maledictio legis, quam expertus est nobis imminentem, *Gal. 3. v. 13.* Innuvit idem lamentabilis ille gemitus in cruce: *DEUS meus, DEUS meus, quare me dereliquisti?* Matth. 27. v. 46. ex Psalm. 22. v. 1. tanquam vaticinio sui desumptus, quo omne ab animo solatium ablatum fuisse, & pro suavitate paterni amoris horrorem irati judicis & severissimam pœnarum exactionem in eum incubuisse, facilè colligitur: quæ ipsissima damnatorum infelicitas est. Certè non tam horridis vocabulis describuntur inferorum calamitates in sacris literis, cum ejulatus illis & stridor dentium adscribitur *Matth. 22. v. 13.* & tormenta ignis *Luc. 16. v. 24.* rodensque vermis *Marc. 9. v. 48.* quam acerbitas passionis Christi nobis depingitur: *cæpit trislarè & exhorrescere, dicens: tristis est anima mea usq; ad mortem.* Matth. 26. v. 37. 38. *Et in agone constituto manavit sudor ut gutti sanguinis cadentes in terram* Luc. 22. v. 44. Deniq; ne deficeret jam subtracto corpori penitus, quod à Divinitate erat, robore, Angelo è cœlis opus erat, qui tabescentem erigeret,

B non

non ut leniret dolorem, sed ut pluri ferendo idoneum præstaret. Malè igitur errant Pontificii & Photiniani, cum novam & inauditam impietatem vocant, docere, quod Christus in passione suâ dolores infernales sustinuerit. *Bellarmin. lib. 4. de Anima Christi cap. 8.* idq; ex hac ratione potissimum, quòd in Christum non cadat desperatio, quam illi quodammodo affingit *Calvinus*. Sed distinguere oportuit inter poenæ *essentiam*, & ejusdem adjunctam *circumstantiam*. Poenas infernales quas nos pro meriti eramus Christus nostro loco subiit quoad *essentiam*, i. e. magnitudinem doloris & derelictionis præsentis, quod postulavit divina justitia & veritas, non verò quoad *circumstantiam*, quoad spem futuri abjectam, quia fuit æternus & infinitus Deus, qui infinitâ virtute potuit mortem vincere & vicit.

§. II. Modus suscipiendi poenam hanc in Christo ille fuit, ut ipse ad eam spontè se offerens, in eadem passione etiam summum exemplum activæ obedientiæ Patri cœlesti præstitæ dederit. Pessimè separamus utramq; obedientiam, *activam & passivam* Joh. Piscator, Calvinianus, eo nomine & apud suos non semper bene audiens, cum *activam* ad omne illud vitæ tempus extendit, quo legi se conformem, Christus præbuit, *passivam* solam in cruce & morte Christi considerat. Unde & alius ejus error fuit, quod ad alteram jure naturæ atq; creationis, imò & fœderis Christum adstrictum fuisse dicat, quatenus homo erat & Israëlita, ad alteram verò ex solâ sponsione, quam spontè nostrâ causâ subiit, ut sic *passiva* obedientia nobis, *activa* ipse Christo profuerit. Verùm enim verò ut sacræ literæ omnem Christi obedientiam in nostrum commodum interpretantur, ita nec separari illam patiuntur, cum & totum tempus exinanitionis Christi, & illa spontanea submissio sui, qui legis erat Dominus, continuam quandam ejus passionem dicat, & ipsa passio

passio crucis activæ obedientiæ adscribatur, sicut legimus
 Psalm. 40. v. 19. *Venio, voluntatem tuam Deus exequor lubens.*
 & Philipp. 2. v. 7. 8. *Christus Jesus cum esset in similitudine Dei
 nequaquam rapinam estimavit illud ipsum quod esset æqua-
 liter Deo, Ἐἵκεν ἑαυτὸν θεῷ, sed semel ipsum exinanivit, & for-
 mam servi induit, factusq; in forma filiorum hominis: atq;
 demisit se ipsum & obedientem se præstitit usq; ad mortem,
 mortem autem crucis.*

§. 12. Finis deniq; passionis Jesu nostri est *Dei glo-
 ria & humani generis redemptio.* De Dei gloriâ loquitur scri-
 ptura passim Luc. 1. v. 68. *Benedictus Dominus Deus Israel,*
qui visitavit & redemptionem fecit plebi suæ, conf. Eph. 1. v. 3. 6.
& 12. Apoc. 5. v. 11. 12. & 13. De redemptione humani generis
 testatur *Epist. ad Heb. c. 9. v. 11, 12.* Christus enim veniens
 in mundum ut æternus Pontifex per proprium sanguinem,
 semel introivit in sanctissimum, & æternam redemptionem
 invenit. Etenim Christus Pontifex, per passionem &
 mortem verissimum, infinitum ac sufficientissimum pro
 peccatis generis humani persolvit redemptionis pretium.
 Dicimus *I. Christum verissimè satisfecisse;* Confirmat hoc
 ipsum scriptura multis in locis (1) quando ipse dicitur *λύ-
 τῶν, redemptionis pretium Matth. 20. v. 28. Venit filius hominis
 dare animam suam in redemptionem pro multis 1. Tim. 2. v. 6.*
Unus est Mediator Dei & hominum, homo nempe Christus Jesus,
qui dedit semetipsum ἀντὶ πάντων pro omnibus, & 1. Cor. 6. v. 20.
pretio redempti estis Quodnam verò illud pretium sit, Petrus
 exprimit *1. Ep. 1. v. 18. 19. Redempti sumus non auro & argento,*
sed pretioso sanguine infantis ac immaculati agni Christi Jesu.
conf. Apoc. c. 5. v. 9. Eph. 1. v. 7. (2). Quando vocatur Christus
propitiatio pro peccatis nostris 1. Joh. 2. v. 2. & cap. 4. v. 10. ubi
vocem ἱλασμοῦ usurpat; quâ voce Apostolus ad sacrificia
V. T. respicit, quorum morte ac sanguine expiabantur pec-

causa, ut rem & modum expiationis secundum veritatem
in Christo ostendat, quæ ibi tantum in typo erat. Hinc &
Christus Rom. 3. v. 25. dicitur ἱλαστήριον placamentum iræ di-
vina constitutus esse in suo sanguine, scilicet factus Pontifex,
ὡς ἡ ἱλάσκεσθαι ad expianda peccata. (3) Quando dicitur Esaj.
53. v. 10. posuisse animam in sacrificium, 1. Petr. 2. v. 24. ipse
peccata pertulit in corpore suo super lignum, & 2. Cor. 5. v. 21.
affirmatur, quod factus sit pro nobis peccatum. Quemadmo-
dum enim finis sacerdotii V. T. erat, ut secundum Dei ordi-
nationem per victimam sacerdos expiaret peccata quæ por-
tabat aliena, ut populus mundaretur ab iniquitatibus, remis-
sionem peccatorum & reconciliationem consequeretur:
Lev. 16. v. 17. cap. 17. v. 11. Ita & Christus factus est victima
& agnus Dei Joh. 1. v. 29. pro nobis occisus, quando semet-
ipsum pro peccato Deo in victimam obtulit, & propitiatio
non tantum pro nostris sed pro totius mundi peccatis factus
est 1. Joh. 2. v. 2. Dicimus II. Christum infinitum solvisse pre-
tium, licet enim passio Christi quoad actualem impletionem
finita sit, & in certo temporis articulo facta, infinitum ta-
men & æternum tunc quoad rem, tunc quoad durationem
producere potuit Effectum, quod patet (1) quia est persona
infinita & æterna & ipsius Dei filii passio, qui se ipsum in proprio
corpore obtulit; quamobrem toties in sacrâ repetitur paginâ,
quod non tantum homo aliquis, sed quod Deus proprio san-
guine acquisiverit Ecclesiam, Act. 20. v. 28. Dominus gloria cru-
cifixus sit, 1. Cor. 2. v. 8. Sanguis filii Dei emundet nos à peccatis.
1. Joh. 1. v. 7. (2) Quia Christus per Spiritum æternum Deo se ob-
tulit; ita scriptura ad Heb. c. 9. v. 13. 14. Si sanguis bouum &
bircorum & aspersus vacca cinis emundat immundos ad carnis
puritatem, quanto magis sanguis Christi, qui per Spiritum æter-
num Deo se obtulit immaculatum, purgabit conscientiam nostram
ab operibus mortis, Emphaticis hisce verbis causam tam pre-
tiosi

tioli effectus passionis Christi exprimit Apostolus, cum op-
 ponens sanguinem Christi sanguini pecuino, illam non *na-*
turali tantum actū suo, sed *personali* considerat, quatenus
 ipse à Spiritu S. ad infinitam virtutem secundum humanam
 naturam unctus est, & divina natura carni affuitæ persona-
 liter se communicans victimæ suæ æternum pondus addidit.
 Dicimus III. Christum sufficientissimum pro peccatis soluisse
 pretium, quantum rigor justitiæ divinæ ad satisfaciendum pro
 infinitis infinitorum hominum peccatis requirebat. Nam ri-
 gori justitiæ divinæ satisfactum esse, probatur (1) ex omni-
 bus illis dictis, quibus Christus dicitur implevisse omnem ju-
 stitiam, *Matth. 3. v. 15.* ita ut nec apex nec jota præterierit,
 cui non suus valor constitit *Matth. 5. v. 18.* utiq; non tantum
 quæ præcipit, sed & quæ pœnas decernit. (2) ubi satisfecisse pro
 eo dicitur, quod homines non permanserint in omnibus, quæ
 scriptura habet in libro legis *Gal. 3. v. 13.* Hinc rectissimè sequi-
 tur, Christum ita permanisse in omnibus, ut etiam minas
 & maledictionem ejus in se suscepit (3) Ex *Efaj. 53. v. 4.* ubi
 dicitur: portasse pœnas peccatorum nostrorum, v. 5. *Castigatio*
exacta pacificationum nostrarum ipsius humeris imposta esse,
v. 6. Deusq; omnium nostrorum iniquitates in ipsum conjecisse.
 Satisfactum esse pro innumeris omnium hominum pecca-
 tis, patet ex illis locis quibus dicitur, beneficium Christi va-
 lore suo latius sese exserere quàm Adami offensa, tum quo-
 ad *intensionem Rom. 5. v. 15.* tum quo ad *extensionem ad plu-*
ra Peccata v. 16. 17. In primis verò *v. 20.* ubi additur vox *gratiæ*
et dicitur, & Eph. 2. v. 7. ubi dicitur *beneficium Christi ostende-*
re abundantes divitias, & 1. Tim. 1. v. 14. superabundare gra-
tia in Christo Jesu. Hinc *Chrysostomus Hom. 11.* in dictum
Rom. 5. de gratia meriti Christi sic disserit: Quemadmo-
dum, si quis in carcerem conjiciat debitorem decem nummos de-
bentem, nequè ipsum solum, sed & cum illo mulierem, liberos,

B 3

famu

*famulosvd; veniat autem alius qui non solum decem illos num-
 mos, sed & innumera alia auri talenta ipsi largiatur: ita & no-
 biscum factum est, siquidem plura quam debemus Christus pro no-
 bis solvit, tantoque plura, quanto guttulam exiguam pelagus ex-
 cedit immensus. Dicimus IV. Christum non pro se sed pro huma-
 no genere pretium persolvisse. Probatur hoc idem ex scri-
 ptura S. quæ testatur, Christum iniquitates nostras portasse,
 & pœnas nostras persolvisse Esaj. 53. v. 5. 6. 1. Pet. 2. v. 24.
 illum pro nobis esse mortuum Joh. 6. v. 51. c. 10. v. 15. Rom. 5.
 v. 8. 2. Cor. 5. v. 15. Unde Nicenum Symbolum; Qui pro-
 pter nos homines & propter nostram salutem descendit de cœlo,
 crucifixusq; pro nobis sub Pontio Pilato, & passus est. Ephesi-
 num: Pontificem & Apostolum confessionis nostræ factum es-
 se Christum divina scriptura commemorat; obtulit enim se-
 metipsum pro nobis in odorem suavitatis Deo & Patri. Si quis
 ergo dicit quod pro se obtulisset semetipsum oblationem, & non
 potius pro nobis solis, (non enim eguit oblatione, qui pecca-
 tum omnino nescivit,) anathema sit. Dicimus V. Christum
 omnia ac singula reconciliare sive qua in terrâ sunt, sive qua in
 cœlis sunt, Colloff. 1. v. 20. Deum dilexisse mundum ut daree
 filium suum unigenitum, quo omnis, credens in ipsum, vitam
 habeat æternam Joh. 3. v. 16. Possuisse in eo (Christo) iniqui-
 tatem omnium nostrorum El. 53. v. 6. Conclusisse omnes in
 incredulitatem ut commiseretur omnium Rom. 11. v. 32. Velle o-
 mnes salvos fieri & ad agnitionem veritatis pervenire 1. Tim.
 2. v. 4. Quod idem & rationibus invictis probatur, (a)
 Creationis; Omnes enim Deus in Adamo ad æternam vitam
 creavit, Sap. 2. v. 23. In eodem & omnes lapsos per Ada-
 mum secundum recreavit 1. Cor. 15. v. 22. (β) Executionis;
 Nam quibus filium in tempore misit, illis per filium quoq;
 salus parta est. Jam autem gaudium hoc, ex missione Mes-
 siae ortum, omni paratum est populo Luc. 2. v. 10. & salutife-*

ra gratia per nativitatem Christi illuxit omnibus hominibus *Tit. 2. v. 11. (γ) Applicationis*; Nam per verbum vocat omnes & singulos ad accipiendum beneficia per mortem Christi ipsis parata ac data. *Matth. 22. v. 2. 3. Luc. 14. v. 16. seqq.* Vocatio autem præsupponit animum beneficium vocantis; sic per sacramenta omnibus obsignat salutem per Christum acquisitam. *Marc. 16. v. 16. Gal. 3. v. 27.*

§. 13. Periculosissimè igitur à veritatis tramite aberrant (1) *Photiniani*, negantes Christum ut victimam nostro loco propter peccata verè se obtulisse, eo quòd nulla lege vel consuetudine unquã fuerit receptum, ut unus alterius loco moreretur; sed finè passionis ac mortis Christi assignant, nostræ salutis annunciationem exemplumq; vitæ, quo ad æternam vitam promoveamur. Verùm enim verò etsi invitus, aut qui potestatem sui non habet, ad pœnas alieno delicto solvendas abripi nequit, istamen, qui vitæ suæ potestatem habet spontè ad vicariam pœnam se offerre potuit; & eluxit in eo amor Dei, quod Christus hoc modo pro peccatoribus dederit, *Rom. 5. v. 8.* & amor Christi qui se pro nobis dedit, *Gal. 2. v. 20.* Nos quidem Adamî culpam luimus, per unius hominis inobedientiam rei constituti, sed non tam alienam, quàm nostram luimus, quæ ipsâ generatione in nos propagata est, nosq; contaminavit, ita ut in Adamo omnes peccaverimus, *Rom. 5. v. 12.* & sic naturâ simus filii iræ, *Ephes. 2. v. 3.* maneamusq; sub irâ donec per fidem in Christum reconciliamur, per inobedientiam unius peccatores constituti multi *Rom. 5. v. 19.* & respectu propagationis *Imputationis*. Sic & in filiis prementibus vestigia Parentum visitatur iniquitas Patrum, juxta illud *Exod. 20. v. 5. Deut. 5. v. 9.* id quod luculento latis probant exemplo, quos hodieq; errantes videmus, Judæi, juxta minas Salvatoris *Matth. 23. v. 38.* Notum etiam est exemplum septem virorum

rum à posteritate Saulis suspensorum ob avitam in Gabao-
nitas tyrannidem 2. Sam. 21. v. 6. Sed de Christo valet
quod Psalm. 69. v. 5. dicitur: *Quod non rapui reddam.*
Ille vel propterea aptus nobis fuit Pontifex, quod à pecca-
toribus separatus esset, ne cogereetur pro sui ipsius peccatis
sacrificium offerre. Heb. 7. v. 26. 27. Non negamus qui-
dem eum salutis viam nobis annunciaſſe, sed hoc negamus
illum *ideo tantum se obtuliſſe*; Frustra enim aliàs fuisse
mortuus, nihilq; ejus officium Sacerdotale differret ab A-
postolorum ministerio cum & ipsi & Propheta annuncia-
rint salutem Act. 10. v. 42. Concedimus & ultrò Christum esse
imitandum, sed negamus, hunc esse *solum & primarium fi-
nem & effectum passionis & mortis Christi*, non enim ideo
se Christus obtulit *primariò*, ut exemplum esset imitationis,
sed ut per mortem Deo satisfaceret, ac pro nobis peccata
expiaret, ut redempti, ipsi serviremus in justitià Luc. 1. v.
74. 1. Petr. 2, v. 24. Et sic demum sanctissimo suo merito
efficax exemplum factus est Christus, ut præster suo me-
rito, ut tales esse possimus, quales esse jubemur. Rectè qui-
dem ajunt Photiniani *Effectum passionis ac mortis Christi esse
collationem vite eterne*, at minùs rectè effectum hunc ei-
dem tanqvàm *causa tantum ministeriali* adscribunt. *Πρω-
τερον Ἰησοῦ* autem illorum est, quod negant *justitiam vin-
dicativam* Deo esse *Essentialem*, ideoq; ex absolutà quâ-
dam Dei gratiâ nos salvari posse censeant citra interveniens
meritum. At si ad scripturam S. diligentius attenderent,
qvàm ad sua ipsorum commenta, facile animadverterent,
quantopere omnis gratia DEI ad Christum restringatur.
Nam (1) datur illa in Christo Jesu Eph. 1. v. 6. *in gratiâ fecit
nos gratos in dilecto.* (2.) datur à Christo, hinc preca-
tur Apostolus Paulus: *Gratia à Deo Patre & Domino nostro
Jesu Christo, Rom. 1. v. 7. 1. Cor, 1, v. 3.* Obtingit (3) *Per
Christum*

Christum Joh. 1. v. 17. *Lex per Moſen data eſt; gratia & veritas per Jeſum Chriſtum facta*, idq; per obedientiam ejus Rom. 5. v. 19. & redemptionem Rom. 3. v. 24. ut nos reddamur juſtitia in eo 2. Cor. 5. v. 21. Hinc dicitur (4) gratia Chriſti Rom. 5. v. 15. Act. 15. v. 11. Abſolutam autem quendam gratiam ſine interveniente ſatiſfactione in Deo non habere locum, nemo negarit, qui quantum divinæ juſtitiae conſtantia ſuperet humanam levitatem, ad animum revocat. Veritas divina erat Gen. 2. v. 17. *morte morieris*, id eſt certiffimè morieris, non poterant hæ minæ impunè eludi. Hoc eſt juſ Dei, ut qui talia agunt digni ſint morte, inquit Apoſtolus Rom. 1. v. 32. nec ſinit Deus quæquam impunitum, Exod. 20. v. 7. Num. 14. v. 18. Eſt hæc in Deo *essentialis & neceſſaria* non *arbitraria* juſtitia, quippe *juſtus eſt Jehovah*, & *juſta rectaque omnia judicia ejus* Pl. 119. v. 137. *juſtus in omnibus viis ſuis* Pl. 145. v. 17. *exigens ſupplicia à delinquentibus* *dominus* (præciſè) *nec quæquam citra ſatiſfactionem dimittens* Pl. 94. v. 1. 2. Rom. 12. v. 19. Unde & abominatio annunciatuſ iis, qui juſtificant impium & condemnant pium Prov. 17. v. 15. Speciem autem pœnæ, quam juſtitia Dei poſtulabat, exprimit Apoſtolus Heb. 9. v. 22. *ſine effuſione ſanguinis non fit remiſſio*, & Rom. 3. v. 24. & 25. ait, quòd *Deus ad demonſtrandam juſtitiam ſuam conſtituerit ſanguinem Chriſti pro placamento eſſe*.

§. 14. Errant (11) Pontificii, cum meritum & ſatiſfactionem Chriſti & fundamento & valore & objecto variè mutilant, & alii quidem in morte ipſâ & ejus conſequentibus nullum meritum agnoſcunt, alii meritum omne ex benignâ acceptione potiùs quàm juſtitiae rigore valere, alii ad originale tantùm, non verò ad actualia peccata extendi, aut ſi eò extenditur, pro culpâ tamen & pœnâ tantùm æternâ, non verò & temporali ſatiſfactum eſſe docent, ita ut & quotidianas miſſæ oblationes & ſatiſfactiones noſtras ipſorum eidem

C

dem.

dem merito Christi oporteat subungere. Quibus omnibus nihil opponimus, nisi hæc generalia scripturæ S. oracula *Christum esse propitiatorem pro totius mundi peccatis* 1. Joh. 2. v. 2. & *sanguinem ejus nos ablueri ab omni peccato* 1. Joh. 1. v. 7. Nam judice ipso Bellarmino lib. 3. de pœnit. c. 4. *Scripturæ cum absolusè loquitur de peccatis, de omnibus peccatis intelligi solet ac debet, & si liceret exponere de quibusdam non de omnibus, absurdissimæ sententiæ in divinis literis invenirentur.* Et sic etiam de omni sanguine Christi sive à vivente sive à mortuo effuso, de omni valore meriti, de omnimodâ oblatione & perfectissimâ purgatione omnium pœnarum hæc eadem generaliter sonantia explicari debent; ut & ratio ipsa personæ & officii Christi evincit. *Unâ oblatione perfecit in æternum eos qui sanctificantur,* Hebr. 10. v. 14. *Redemit nos ab omni execratione legis sive temporali sive æternâ* Gal. 3. v. 13. ita, ne iniquitatum recorderetur amplius, eeu promisit *Esaï. 43. v. 25.* nedum ut temporalem sibi earum pœnam reservaverit à nobis ipsis expiandam.

§. 15. Errant (III) Calviniani cum universalitatem meriti oppugnant, statuuntq; licet passio & mors Christi tanti valoris fuerit, ut applicari omnibus etiam pereuntibus potuerit, ex intentione tamen Dei, eam nec esse applicabilem iis, nec applicari debuisse, ut videre licet ex Beza, Paræo, Keckermanno, aliisq;. Ad quem errorem palliandum abutuntur distinctione Scholasticorum inter *sufficientiam* & *efficientiam* passionis, dicuntq; Christum omnes redemisse *sufficienter*, sed non *efficienter*. Sed hic observamus (1) quod plerimi ex ipsis Calvinianis distinctionem hanc simpliciter rejiciant. Beza in *Thestibus* dedignit. *Effic. sacrif. Christi* scribit, in illa pbrasi: *Christus mortuus est pro omnibus hominibus sufficienter non efficienter; à vero deo hæc esse videtur, sive enim consilium Dei, sive passionis effectum, sive utrumque spectaveris, pro*

pro impijs nullo modo est mortuus. Et P. 2. resp. ad acta
 Colloq. Mompelg. inquit: *Distinctio illa inter sufficienter & effi-*
cienter mera est tergiversatio. Et Piscator Disp. qu. Christum
pro nobis nullo modo esse passum s. sufficienter s. efficienter. (2.)
 Quod olim verus & orthodoxus hujus distinctionis sensus
 fuerit. Veteres enim & nostrates Theologi hanc distincti-
 one per *sufficienciam* passionis ac mortis Christi ipsum actum
 redemptionis & acquisitionem salutis intellexerunt, per *effi-*
cientiam verò applicationem mortis & collationem salutis
 acquisitæ. Hoc itaque volunt, Christum quidem homines
 universos ac singulos secundum Dei Patris consilium &
 voluntatem actum ipso redemisse, quia verò plerique in im-
 pœnitentiâ & incredulitate perseverant, fieri, ut efficaciam
 mortis non omnes perferant & salventur, sed tantum
 fideles, & hoc sensu causa inefficaciæ rejicitur, non in
 defectum intentionis divinæ circa mortem ac passionem
 Christi, sed in hominum incredulitatem. Nam, ut rectè
 D. Chemnit. l. 2. Harmon. loquitur, sicut herba agro non mede-
 tur, nisi rectè usurpetur & applicetur; ita Christi quoque passio
 sufficiens est ad tollenda totius mundi peccata, sed illis solis prode-
 est, qui hanc recipiunt animo, sibi què justè applicant. Itaque
 meritum Christi est universale, quia Christus intenti-
 one Patris passus & mortuus est pro omnibus hominibus;
 actualis verò ejus fructus est particularis, quia à solis cre-
 dentibus accipitur. Calviniani autem per sufficienciam
 passionis & mortis Christi, non ipsum redemptionis actum,
 sed potentiam tantum notatam volunt, docentes, Christum
 potuisse quidem satisfacere pro totius mundi peccatis, imò
 centies mille mundi si essent, docente Polano lib. 6. Syno-
 zagn. Theol. c. 18. si modo id ipsum Deus voluisset, sed non
 satisfacisse ipso actum, quia Deo Patri ab æterno id non pla-
 cuerit. Mera itaque illusio ac fumus est quicquid de suffi-
 cientiâ

cientiã proponunt, cum intelligant tantum *potentialem*,
non actualem.

§. 16. Tempus passionis Christi describitur univer-
saliter & indefinitè per horam, quæ ipsi à Patre cœlesti fuit
constituta, *Job. 7. v. 30. c. 8. v. 28. c. 16. v. 32. Marc. 14. v. 41.* Spe-
cialiùs per consummationem seculorū *Hebr. 9. v. 26.* de quã
prædictum erat *Dan. 9. v. 26. Agnum Dei occisum esse ob origi-
ne mundi,* communiter tradunt Theologi ex *Apoc. 13. v. 8.*
nempe (1) ratione decreti divini & valoris, sive meriti quo
omnibus fidelibus ab Origine mundi profuit antequàm fuit,
quippe quo, quod non poterant præstare sacrificia, præsti-
tum est, ut unicã oblatione perficerentur in perpetuum quot-
quot sanctificati sunt, *Heb. 10. v. 14.* (2) ratione typorum,
cum variis illis omnium temporum sacrificiis nihil aliud a-
ctum sit, quàm ut hoc unicum & verum sacrificium adum-
braretur, & fides in illud rejiceretur; sicut propterea Chri-
stus cum iis comparatur, *Eph. 5. v. 2. 1. Cor. 5. v. 7. Job. 1. v. 29.*
Heb. 13. v. 11. Nec in victimis tantum Leviticis, sed & in aliis
pluribus rebus ille typos fuit, ut in Melchisedeco *Gen. 14.*
v. 18. seqq. ceulatè explicat Autor *Epist. ad Heb. c. 7.* in ariete,
quem pro Isacco offerre oportuit *Gen. 22. v. 13.* de quo gaudium
diei Christi Abrahamiticum *Job. 8. v. 16.* quidam explicant;
in serpente æneo à Mose erecto, *Num. 20. v. 9.* quem huc ad-
vocat ipse Christus *Job. 3. v. 14.* in Jonã à balenã absorpto,
de quo vid. *Matth. 12. v. 40.* &c. Sed abutuntur hãc explica-
tione Quakeri, cum illam pro argumento arripiunt omnis
passionis Christi in allegoriam vertendæ, quasi illa non ni-
si pugna carnis sit adversus Spiritum, quam omnes homines
inde ab Adamo in se senserint. Contra quos disertus est lo-
cus ille *Hebr. 9. v. 26.* suprã laudatus; quod Christus *non
sepius passus sit ab origine mundi sed semel in consummatione se-
culorum.*

§. 17.

§. 17. Accuratiorem chronologicum calculum, unde constet quo præcisè anno, die, horâ Christus passus & crucifixus sit, multi studiosè quærent eruditi, in quorum difficultates nos immittere hoc loco nolumus. Id tantum notamus, præcipuum inveniendi diei laborem positum esse in conciliando Johanne cap. 13. v. 1. *Ante festum verò* &c. c. 18: v. 28. *non introibant Judæi in pretorium Pilati, ne polluerentur, sed ut pascha ederent, & c. 19. v. 14. Erat verò parasceve paschatos; cum Matth. 26. v. 17. & Marc. 14. v. 12. Primo die azymorum accedebant discipuli ad Jesum, dicentes: ubi vis, ut tibi paremus agnum paschalem comedendum & Luc. 22. v. 7. Veniebat verò dies azymorum, quo oportuit edere pascha, & misit Petrum &c. ut & Matth. 26. v. 2. Nostis, quòd post biduum pascha sit.* Ubi prioribus locis Christus videtur ante festi initium occisus esse, posterioribus verò in ipso festo post agni paschalis sublationem. Inveniendæ verò horæ scrupulum injici à collatione verborum Marc. 15. v. 25., *erat verò hora tertia, cum Joh. 19. v. 14. hora circiter sexta.* Ubi quòd ad diem attinet, communiter interpretes ex recentioribus calendariis Judæorum rem conciliant, quòd ex traditione Rabbinicâ in 172, seu secundam, quartam & sextam feriam incidens festum translatum sit, ut Christum alio, nempe verò die secundum legem Mosis, alio Judæos secundum traditiones suas pascha comederent; sed quâ id certitudine ac vel Evangelistarum vel Talmudistarum testimoniis convenienter asseratur, ipsi viderint. Aliter Græci, qui diem ipsum legalem à Christo anticipatum esse volunt, unde de azymo vel fermentato in S. Eucharistiâ adhibendo inter ipsos & Latinos certatum est. Nobis illud unicum hoc loco sufficiat, quòd passio hæc Christi, tanquam verissimi antitypi agni Paschalis Judæorum, citra omne dubium in ipso festo Paschatos contigerit, & sic sive XIII. sive XIV. sive XV. die in ipso circiter plenilunio juxta institutionem divinam, *Ex. 12. v. 18. Lev. 23. v. 5. (cum menses à*

lunã numeraverint Judæi, non à partibus anni, ut nos) ut sic eò magis intelligatur, quàm ecclipsis illa solaris, quæ suã fœditate fœditatem facinoris hostium & dignitatem patientis indicavit, planè miraculosa fuerit, nec ex naturalibus potuerit contingere principiis. De reliquis controversiis sententiam nostram ipsi Disputationis collationi reservamus.

§. 18. Locus passionis Servatoris nostri *generalis* est Hierosolyma, Judææ Metropolis, civitas olim Dei sanctissima, quam inde singulari gratiã cunctis aliis prætulera & cultui suo sedem fecerat, non sine maximã ejus per totum terrarum orbem celebritate ac honore, sed quæ postea ita degeneravit, ut sanctorum sanguine tota maduerit, & ab ipso Christo speluncæ latronum etiam templum æquiparetur *Luc. 19. v. 46.* Imò hoc quasi privilegium nacta est, quod fieri non potuerit, ut extra hanc urbem interficeretur Propheta *Luc. 13. v. 33.* unde & ipsius Christi neci divinitus destinata fuit, neque id sine singulari consilio. Cum enim urbs illa quasi centrum esset orbis universi, & ad illam populi ex omnibus partibus mundi confugerent, *Act. 2. vs. 5.* beneficium redemptionis præstita vix ullo è loco melius, quam ex hoc divulgari potuit; unde etiam initium præconii Evangelii inde futurum esse jam olim Propheta prædixerunt *Esai. 2. v. 3.* Et post resurrectionem Discipulis prædicatio Evangelii eo in loco inchoanda, & per omnes terræ partes continuanda demandatur. *Luc. 24. v. 47.*

§. 19. Specialis autem locus pro distinctis passionis dominicæ partibus variè describi potest, & offerunt se hic. (1) Locus captivitatis, ubi angores verè infernales persensit, & stupendo planè miraculo sanguineum sudorem sudavit, qui locus *Matth. 26. v. 36. Marc. 14. v. 32.* Gethsemane dicitur. (2) Locus condemnationis, quæ contigit coram Caipha in Sacerdotum & seniorum concilio *Matth. 26. v. 57.*

Job.

Job. 18. v. 24. in Romani Magistratus prætorio. Matth. 27. v. 2. Marc. 15. v. 1. Luc. 23. v. 1. Job. 18. v. 28. Tandem (3) Locus mortis ac supplicii. Quem crucifixionis locum Evangelistæ describunt περιωσ, partim, partim ειδιωσ, Generaliter dicunt fuisse cum extra urbem, quod etiam observat Scriptor ad Hebræos cap. 13. v. 12. Congruebat id & Judaico & Romano mori. De Romanis præclara multa affert Grotius. De Judaico partim ex ipsâ passionis historiâ partim ex aliis scripturæ locis hoc constat. Specialiter uno ore nominant eum Golgatha seu Calvariæ locum. Beza scribendum esse putat Golgolta, sed vulgarem scriptionem tanquàm Syriacæ linguæ non inusitatam defendit Ligtfootus. Vestigia cujusque loci monstrant hodieque; Monachi in terrâ Palestinâ, credulitate potius omnium quàm traditionis certitudine vulgo accepta. Nos verò pro obscurioribus his vestigiis locum Christoin animis nostris & perpetuâ ejus recordatione quæramus, precati cum Dionysio: O dulcissime JESU, SPLENDOR PATERNÆ GLORIÆ & SOL JUSTITIÆ, qui pro indigno peccatore, servulo tuo, hocce dignatus es pati stupendos cruciatuq; in Calvariæ loco pro humani generis redemptione animam tradere, patrique; cœlesti commendare voluisti, præsta hoc unicum mihi beneficium, ut hujus amarissimæ mortis tuæ dolorem pariter & amorem jugiter in pectore meo circumferre, & memetipsum in illâ ceterisque; virtutibus, Tibi acceptis atque; gratis, exercere valeam, quo appropinquante vitæ meæ fine in luce miserationum tuarum respirare, & tecum in Paradyfi gaudium feliciter intrare possim. Adesto mihi luctanti, agonizanti, defende ab hostibus, eripe ex ærumnis, consolare gementem, conforta trementem, refice deficientem, suscipe expirantem.

*Tibi Salvator unice sit LAUS, HONOR & GLORIA
in omne seculum.*

hæc

Hic tibi nunc volitet BODENI nuncius alter
In Patriam, studii dans documenta tui.
Sic iuvat usque magis proprios tentare lacertos,
Ut cathedra vero nomine constet honos.
Gratulor impensè cœptis, & plura subinde
Tentantem votis prosequor usque meis
lubens meritoq; scriba

PRÆSES.

Passio quem Christi delectat, mente triumphat
Tranquillâ, tenebras luce fugante mali.
Sic, mi BODENI, commendas cœpta benigni
Ingenii, Christi dum meditare Crucem.
Te passus Jesus confirmet tramite Veri,
Sic referes certas Clarus honoris opes.

*Hicce Clarissimo DN. Magistro Commen-
sali atq; Amico suo honoratiss. affectum
suum prolixum contestari voluis*

JOH. BARNSTORFF. D.

DE JESU patiente, mihi dilecte BODENI,
Publicitus sanctè differuisse cupis.
Aspiret divina Tuis clementia cœptis,
Sic clarus fuerit proficiusq; labor.

*Clarissimo DNO. Respondenti, ami-
co suo perdilecto, scribebat*

CHRISTIANUS HILTEBRANDT.

P. P.

DUm SALVATORIS deplorant templa DOLORES, 878

Ne Cathedræ fileant, dulcis Amice, facis.
Est crucifixus AMOR Tibi gloria summa decusquæ,
Est specimen CHRISTI PASSIO, Docte, Tuum,
Euge! sit exculi documentum pectoris amplum,
Et DOLOR ille salus atque honor almus erit.

*Ita adplauderat Clarissimo DN. M. BODENIO Faw-
tori atque Amico suo honoratiss. de dolorosa
Christi Passione publice in ipsâ Passionis hebdo-
made disputantè*

GOTTLOB FRIEDERICUS Seligmann/

S. Theol. Ddus, Metaph. & Phys. Prof. Templi Ca-
thedr. Archidiac. Facult. Philos. Decan. & ap.
Lipsiens. adhuc Ducal. Collegiat.

TEmpore succincto prolixum poscis Amice
Carmen, difficilis quod mihi Musa negat.
Ergò brevi capias prolixum carmine amorem
Ac felix, dexter, prælia sancta geras.

*Apponebat hæc Conterraneo
suo amicissimo*

J. K.

Sic gnavo partos studio Tu nuper honores
Majori nisu nunc decorare studes ;
Laurea fit semper viridis, magnosqve labores
Excipiant meritis præmia digna tuis :
Cœlipotens Rector, voveo, tua cœpta secundet,
Nec noceat laudi livida lingua tuæ,

*Paucissima hæcce Clarissimò ac Doctissimo
Dno. M. Bodemo, Fautori ac Con-
terraneo plurimum colendo, apponere
debit.*

CHRISTOPHORUS Kögler.

Sic Mi BODENI collectas egeris artes
In nostros usus, os soluendo tuum ;
Præponis Christum rebus, quas mente revolvis
Posthac fluxuras ex ratione tuâ,
Egregium factum ! JESUS Tua lumina mentis
Ad majus lumen provehat atquè regat.

Hisce paucis adplaudebant

COMMENSALES,





877

*Job. 18. v. 24. in Romani Magistratus prætorii
Marc. 15. v. 1. Luc. 23. v. 1. Job. 18. v. 28. Tan
mortis ac supplicii. Quem crucifixionis loci
describunt περιωσ partim, partim ειδικως,
cunt fuisse cum extra urbem, quod etiam ob
ad Hebræos cap. 13. v. 12. Congruerat id & Ju
no mori. De Romanis præclara multa affe
Judæico partim ex ipsâ passionis historiâ parti
tura locis hoc constat. Specialiter uno ore
Golgatha seu Calvariæ locum. Beza scriben
Golgolta, sed vulgarem scriptionem tanquã
gvæ non inusitatam defendit Ligtfootus.
que loci monstrant hodieq; Monachi in terra
dulitate potius omnium quã traditionis ce
accepta. Nos verò pro obscurioribus his vestigi
stoin animis nostris & perpetuâ ejus recordat
precati cum Dionysio: O dulcissime JESU, SI
TERNÆ GLORIÆ & SOL JUSTITIÆ, qui p
catore, servulo tuo, hosce dignatus es pati stu
qviq; in Calvariæ loco pro humani generis r
mam tradere, patriq; cœlesti commendare vol
unicum mihi beneficium, ut hujus amariss
dolorem pariter & amorem jugiter in pecto
ferre, & memetipsum in illâ ceterisq; virtut
ptis atq; gratis, exercere valeam, quo appro
mea fine in luce miserationum tuarum resp
in Paradyfi gaudium feliciter intrare possim
luctanti, agonizanti, defende ab hostibus,
nis, consolare gementem, conforta tr
refice deficientem, suscipe expirantem
*Tibi Salvator unice sit LAUS, HONOR
in omne seculum.**

